



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

127. Diploma quo Carolus Martellus plurima S. Vvillibrordo donat. Idem explicatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

fectum gerere in multis oportunitatibus &c. & contra quoslibet aduersarios quibus in Domino preualetis &c. Pluribus alijs comendatijs ad Germaniæ Episcopos, reliquum Clerum; ad Duces, Comites, Populum, munus recessit Bonifacius, quas legere est apud Othlonum lib. primo cap. 22. 23. 24. 5. 6.

Nemo paret dissertationem iam positam esse meo proposito extraneam, quia differui partim quod Bonifacius sit S. Willibrordi partus utpote discipulus: partim ut cernendo quod in Bonifacio, simul cernas quid in Willib. sit Romæ factum: nam non dubito simile iuramentum à Willibrordo esse præstitum & quin similibus litteris sit Pipino commendatus daturque aliquatenus colligi ex V. Bedæ & Aeuino. Multæ Chartæ, multa particularia S. Willibrordi interierunt per hostiles grassationes Danorum & Nortmannorum S. V. Willibrordi mortem mox subsequentes.

## DISSERTATIO CXXVII

Diploma quo Carolus Martellus plurima

S. Willibrordo donat. Idem

explicatur.

**C**arolus Martellus heroicus Princeps animaduertens deuotionem flagrantemque charitatem Willibrordi in proximos, simul quantum virtutibus obstet res angusta domi, gnarus istius scripturæ, Date & dabitur vobis, cum nobis muneribus cumulat, tum ad eius institutum promouendum,

uendum, tum ad suam & suæ gentis salutem procurandam. Ac primò anno 727. aut 728. regnante annum secundum Francorum Rege Theodorico Herstalli ad Mosam more maiorum conuersans, donat Monasterio siue Ecclesiæ cathedrali Traiectensi quidquid possidebat filius in ipso Traiecto castro, tam infra muros, quam à foris, cum omnibus adiacentijs. Similiter villam siue castrum Fethna situm in Instarlaco. Diploma donationis est tale:

Ego in Dei nomine illuster vir Carolus, Maior domus, filius Pippini, quondam cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata possum abluere & donante Deo ad æterna gaudia peruenire; idcirco donamus à die præsentis, per hanc paginam testamenti & donatum in perpetuum esse volumus, hoc est, ad monasterium quod est intra muros in Traiecto castro constructum, vbi & Apostolicus vir, Dominus & in Christo Pater noster Willibrordus Archiepiscopus, sub sanctæ conuersationis Cœnobitali ordine, custos præesse videtur, omnem rem in fisci ditionibus, quidquid

in

in ipso Traiecto Castro, tam infra muros  
quam à foris, cum omnibus adiacentijs  
vel appenditijs, cum illo pascuo Praue-  
ningo, vel quidquid ibi fisci ad præsens  
esse videtur . . . . & similiter villam vel ca-  
strum nuncupatum Fethna, situm in In-  
sterlaco, cum omni iure & soliditate sua  
. . . . totum & ad integrum, vt diximus, à  
die præsentis, ad ipsum monasterium, vel  
ad ipsam casam Dei tradimus atque dele-  
gamus, perpetualiter in Dei nomine ad  
possidendum. . . . Actum Herestallio vil-  
la publica, in ipso die Kalendarum Ianua-  
rij, anno secundo regnante glorioso Do-  
mino Theodorico Rege.

Nnn

Signum

*Signum illustris viri Karoli*

*Maioris domus, qui hanc donationem fieri & affirmari  
rogavit.*

*S. Karolomanni, filij eius.*

*S. Gariaonis. S. Odonis. S. Baldrici.*

*S. Abbonis. S. Engilbaldi. S. Adalhardi.*

*S. Theoldi nepotis eius. S. Bosonis.*

*S. Widonis. S. Gintfridi.*

*Ego Rothbertus subscripsi. Harwardus subscripsi.*

*Audoinus presbyter subscripsi.*

*Chelmoinus subscripsi.*

*Chaldo Cancellarius, rogatus à*

*Karolo supra dicto scripsit & subscripsit.*

**D**iploma hoc legitur sic apud Miræum. Idem recitat  
Leijdenfis, & Heda quibusdam interiectis quæ  
Miræus omisit interpuncta figens, forsan quod parerga  
sunt & ad donationis substantiam non pertineant. In pri-  
ma interpunctione . . . . . interijciunt, omnia & ex om-  
nibus totum & ad integrum cum omni re quæsitæ & in-  
quisitæ. In secunda interpunctione . . . . . omnes adiacen-  
tias vel appenditias tam ad ipsam villam Fethnam Castrum  
vel etiam ad iam dictum Traiectum Castrum, ut diximus,  
aspicere vel pertinere videtur quantumcunque ad partem  
Fisci, vel ad nostrum præsens esse videtur, cum omni  
integritate eorum, quicquid dici vel nominari potest,  
hoc est una cum mansis, terris, casis, domibus, ædificijs,  
accolabus, lucis, mancipijs, campis, pratis, pascuis,  
syluis, aquis, aquarumque decursibus: greges cum pa-  
storibus vtriusque generis, sexus, mobilibus & immo-  
bilibus.

In 3. interpunctione . . . . addunt hæc; Ita vt ibidem ab omni tempore pro nostra mercede proficiat in augmentis. Et quicquid exinde Patres ante iam antè dicti Monasterij, vel rectores pro eorum opportunitate facere decreuerunt, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, siue nos ipsi, vel aliquis de hæredibus & prohæredibus, seu quælibet opposita vel extranea persona, qui contra hanc donationem, quam nos pro diuino intuitu & animæ nostræ remedio ad instar testamenti fieri & affirmari decreuimus, venire aut agere, vel eam infringere conauerit, in primis iram Dei cælestis incurrat, à liminibus SS. vel consortio Christianorum efficiatur extraneus: insuper inferat, vna cum socio fisco auri libras quinque, argenti pondera decem coactus exoluat, & quod repetit, euindicare non valeat, sed præsens donatio ad instar testamenti à me facta, omni tempore firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa.

Notent hîc qui omnia in nuda fide constituunt, Carolum Principem iuxta orthodoxam veritatem eo æuo uiuentem in Belgio, sensisse eleemosynis & donationibus pijs religioso carui Ecclesijsque factis deleri (non regi) posse peccata iisdemque posse nos mereri gaudia æterna.

Nota secundò, qua Reuerentia Princeps Episcopum Episcopalemque gradum prosequatur, Willibrordum Archiepiscopum, Apostolicum virum, Dominum & in Christo Patrem suum nominet.

Nota tertio, Collegium in Canonicorum Ultraiectinum primitus sub Coenobitali ordine id est modo communiter viuendi fuisse institutum; & Monasterium vocari. vide supra dissert. 80.

*Præuvingo* quid sit & ubi mihi obscurissimum. Exemplar Leijdensis habet *Grueninge* quod suauius; significantius & accommoditius est, forsitan alicui videntur esse adiectiuum & denotari pascua viridia ad distinctionem pascuorum in Ericetis & alibi. Alij legunt *Graueuingo* existimantque significari pascua Comitis quasi pascua *Grauationati* id est Comitatus siue Comiti obnoxia. Alij credunt paludes illas fuisse ab *Ultraiecto Amerfortium* versus nomenque à fodiendo deductum. Alij à vernaculo *Grauwe-Veen*, quasi grisea palus griseos ferens cespites.

*Fethna*, hodie est *Fochten* aut *Vechten*, vt habent tabulæ *Kærianæ*, supra *Wiltaburgum* non longè à veteri *Rheno*.

*Insterlaco*. Alij addunt in pago: vnica voce habent passim diplomata, quod quid denotet *Oedipo* mihi opus. Quantum auguror duo sunt vocabula male à scriptore coniuncta. *Inster laco*, prout supra diuisimus, ac idem sint quod *Inster lacus* id est lacus dictus *Inster*: paludosam namque esse fuisseque terram *Frisicam* notum est, hodieque multi lacus sua particularia nomina sortiti visuntur; quorum aliquos supra nominauimus. Situm vero fuerit castrum *Fethna* in *Inster laco* quomodo dicimus ciuitatem talem aut talem sitam in lacu *Lemano*, *Comano*. Inuenitur tamen apud *Hedam* in *Baldrico* Episcopo 15. *Othonem* 2. Ecclesiæ *Traiectensi* contulisse in proprium in pago *Insterlakem* Villam *Amudam* &c. Quare rectius *Insterlacum* esse pagum id est regiunculam plura loca in se continentem dixeris.

*Herestallij*, corruptissimè apud *Leydensem* legitur *Arrestallij*: vsitatò verò est *Herstallum*, pagus non procul à *Leodio* quem *Pipinus* arce ad *Mosam* excitata in delitijs habuit

habuit, ornauit, habitauit, similiter multi eius successores.

*Villa publica*; existimo dici villam publicam, quod fora, nundinae, iudicia publica ibi exercerentur, ad distinctionem aliarum villarum ubi haec non peraguntur. Solent enim loca quibus Principes resident, similibus prerogatiuis ornari, magno aduentantium numero frequentari, domicilijs fixis praesertim a potentioribus & ijs qui Principi sunt a consilijs, a comitatu, ab officijs, famola reddi, quemadmodum scimus actum Bruxellis ubi aula est Principis. Similiter vicus quondam Turnhoutanus ex quo a Maria Geldriae Ducissa Ioannis tertij Brabantiae nostrae Ducis filia domicilio ibidem posito in amoribus haberi coepit, in celebre oppidum euasit allectis ob sylvarum frequentiam venationi aptarum patriae nobilibus, ita ut temporibus Anthonij Ducis (praesuitis ab anno 1406. usque ad annum 1415.) minor Bruxella appellaretur. Eundem locum ante ciuilia nostra bella tenere coluit Maria Karoli quinti Imperatoris soror Belgij gubernatrix, quem in Ciuitatem erigere fertur meditata. Et etiamnum nobile est municipium, aedium numero, opificio multas vrbes superans, non obstantibus bellorum turbinibus undique perstreptibus.

*Anno secundo regnante glorioso Theodorico* Scriptor quidam Anonymus Chronicorum Franciae a Pharamundo usque ad Henricum secundum impressus anno 1548. Fasti Regum & Episcoporum Angliae additi ad multos & praecipuos scriptores rerum Anglicanarum post Bedam excusum Francofurti anno 1601. & qui eos forte sequuntur inchoantes annum 7. Theodorici Regis 727. consequenter annum 2. Theodorici huiusceque donationis figerent anno Christi 728. aut 729. Alij in partes Baronij, Bucherij,

Miræi



Miræi aliorumque qui annalibus studio Pythæi editis inuituntur, concedentes, annum 2. regni Theodotici reponunt ad annum Christi 721. aut 722. & eodem annum donationis Carolingæ. Quos olim secuti sumus, nunc priores lubentius sequimur.

Hic monearis Lector differt, 124. esse verba: tertio, idem anno 728. aut 729. &c. quæ posueram olim iuxta posteriores authores. Negotio postmodum pensiculatus examinato, in exemplari meo iam imprimendo correxeram, sed negligentia & imperitia Typothetæ quod primo posueram & deleueram reliquit & correctum omisit, quare pro 721. aut 729. substituatur 732. aut 733.

Theodoricus hic cognominatur Cala quod in Calensi Virginum Monasterio fuerat educatus, quem Martellus mortuo Chilperico Regem ordinauit. Iam eò excreuerat potestas Maiorum domus vt Reges constituerent, Francorum res pro arbitrio moderarentur. Aduersarium tamen hocce in negotio magnopere sensit Eudonem Aquitanicæ Ducem cum quo illi iuge bellum fuit; quemadmodum antea cum Raginfredo Maiore domus Chilperici Regis.

*Carolomanni filij eius.* Carolomannus hic censetur maior natu prolium Martelli, de quo notat Sigebertus ad annum 741. Pacato & dilatato Francorum regno, Carolum bellicosum Principem obiisse, & filios suos Carolomannum & Pipinum Principatus sui successores reliquisse. Mox autem Pipino in Aquitania occupato, Carolomannus primum in Alemania, deinde in Saxonia victorijs poritus est. Cæterum anno quadragésimo sexto, cum annis ferè quinque cum fratre paternas ditiones administrasset, amore Dei Principatum terrenum deferens, vt in futura vita centuplicatam reciperet possessionem, primum in Sorade monte,

monte, ubi S. Silvester delituisse dicitur, fundato monasterio se rotondit, & deinde in Castro Cassino laudabili vita enituit.

Qua de re multa apud Reginonem, & alios Historicos, & in natalibus SS. Belgij ad 17. diem Augusti leguntur. Cassini enim inter beatos numeratur, & in arca est eleuatus.

## DISSERTATIO CXXVIII.

Donatio Pagi Elstani. Caroli Diploma,  
quod explicatur.



Nno 733. Carolus Martellus Christiana Catholicaque motus ratione offert intuitu S. Willibrordi Ecclesiae S. Salvatoris pagum Elst integro iure possidendum. Oblationis diploma recitant Heda in S. Willibrord. & Miræus in Codice piarum donationum impresso Anno 1629.

*Ego in Dei nomine inluster vir Karolus,  
Maior domus, filius Pipini, quondam cogitans casum humana fragilitatis qualiter peccata abluere possim, & donante Deo ad aeterna gaudia pervenire. Idcirco trado .....  
donatumque*